

**Moschus. Bisam.**

*Moschus moschiferus. Animal ex ordine Pecorum,  
Asiae mediae montes inhabitans.*

Massa unguinosa fragrantissima, secreta in vesicis glandulosis, oblongis, inter anum et genitalia abdomini adjacentibus, quae, una cum vesicis exsiccata, granula refert nigrantia, in textu celluloso deposita.

*Moschus Tunquinensis, qui optimus est, ex imperio Chinensi affertur. Vesicis ejus, omni ex parte Moscho turgidis, quae ovum columbinum magnitudine aequant, cutis superinducitur, pilis radiatis, ex albo subfuscis, obsita.*

**Myrrha. Myrrhen.**

*Arbor Aethiopiae, nondum cognita.*

Gummi-resina, extus fulva, intus ex flavo rubens, tactu pinguis, friabilis, subpellucida, levis, saliva maxima ex parte solubilis, saporis amaro-aromatici, et odoris aromatici non ingrati.

**Natrum carbonicum f. Soda. Sode.**

*Soda Hispanica concrementum refert cinereum, ex combustis plantis maritimis ortum. Natrum carbonicum elixando inde obtineri solet.*

*Soda Hungarica autem, quae nativa est, in nonnullis regni Hungariae lacubus sponte exsiccatis, copiose efflorescens, depuratione Natrum carbonicum largitur.*

**Natrum muriaticum f. Sal culinare. Küchensalz.**

Paratur in officinis salinariis nostris per evaporationem Muriae.

Nuces Been f. Behen. *Beennüsse.*

*Guilandina Moringa* f. *Hyperanthera Moringa*  
Vahlii. *Arbor in Oriente et India orientali fre-*  
*quens.*

Semina oleosa, triquetra, cinerea, magnitudine  
seminibus nucis avellanae fere similia.

Nuces Juglandes immaturae. *Unreife*  
*Wallnüsse.*

*Juglans regia.* *Arbor apud nos culta.*

Nuces moschatae. *Muskatennüsse.*

*Myristica moschata.*

Nuclei oleosi, subrotundi, ponderosi, extus cine-  
rei, intus vero ex fusco rubentes, odoris fragran-  
tissimi.

Nuces vomicae. *Krähenaugen.*

*Strychnos Nux vomica.* *Arbor Zeylanica et Mala-*  
*barica.*

Nuclei subrotundi, compressi, tenaces, villis ex  
cinereo argenteis splendentibus obsiti, saporis sum-  
me amari.

Oleum Cajeput. *Cajeputöhl.*

*Melaleuca Leucadendron.* *Arbor Indiae orientalis, in*  
*Malabarica et insula Banda frequens.*

Oleum aethereum fragrans, flavescens, pelluci-  
dum, ex foliis destillatum; plerumque colore viridi  
conspicuum.